

Levit. 13. 26.  
Hinneb che-  
bab.

igne expiari oportet. Si verò macula illa, vel locus, qui lepræ suspitionem induxit, eundem exhibeat colorem, eandemque servet habitudinem, quam pannus ille igne crematus haberet (1), nempe locus esset reliquâ superficie depressior; statim frustum à reliquo panno avellatur. Tandem si post hæc omnia, indicia lepræ in vestes gliscens deprehendatur, ubi scilicet nulla antea observata fuerant; tunc vestis igne damnetur; immunis verò pronuncietur, si nulla extent ejus rei indicia; tunc enim semel prius, iterumque lota pura esto. Hæc de lepra vestium Moyses; en nostræ eâ de re conjecturæ.

Hanc igitur lepram ex eadem vermium pannos vitiantium causâ derivandam censeo.

Tineas, quibus panni diutius inclusi corrumpuntur, vermes esse, res est apud omnes exploratissima. Scitum est etiam male paratas pelles huic incommodo præceteris exponi, quemadmodum & tineis frequenter sciant aulæ Arvernæ pinguioribus lanis contexta. Huic malo repositis inter panni plicas candelis occurritur; vermes illi pronam ceram nacti, relicto panno, candelam abrodunt. In Regionibus soli espositis, & eâ potissimum ætate cum parandi pelles & lanas ars minus erat explorata, majus certè incommodum pannis omnibus, & vestibus ex tineis timebatur. Cum autem nec vestes per eam ætatem frequenter immutari consuevissent, nec id facile potuissent Israelitæ in deserto iter agentes, sicut & per eam occasionem nullus esset balnearum usus; hinc facile eorum vestes contrahere sordes, adeoque & vermes potuerant. Carbasinis quidem telis præ aliis omnibus tineæ parcere consueverunt; pannis verò cæteris, ac telæ ex retorto pluribus filamentis flamine contextis, plus ab his vermibus, nec minus sanè quam cæteris aliis pannis, timendum fuerat. Facile etiam frequentes erant apud Judæos vestes ille, quarum deinde usum Moyses inhibuit; ex lino nempe, & lana contextæ, quod certè panni genus contrahendis tineis aptissimum est.

Eâ hypothesi semel constitutâ, ut in lepra vestium à Moyse significatâ vermes, vestes illas & pannos abrodentes, planum est concipiamus. Coloris in panno mutatio, macularum vitium auctum, depressior superficies, veluti si igne afflata fuisset; hæc, inquam, omnia commodè explicantur, si vermes inducamus vestimenta infestantes; dum potissimum morbidiorem aliquam panni partem nacti fuerint. Facile infecta illa ex uno in alterum locum transfirant, & dum sedem immutant, priorem regionem adè vastatam relinquunt, quasi si flammâ afflatus esset locus. Crassiora enim, & solida filamenta, ipsaque panni textura manet; cum interim tenuior superficies, ac lanæ villus depasti sint.

Jubet igitur Moyses, vestes illas, ut primum certum lepræ indicium exhibuerint, igne absumi; neque enim fieri potuisse creditur, ut à vermibus, quibus sca-

lent, repurgarentur; sicut eam adhibendam cautionem censuit, ne lues in reliquis vestes propagaretur.

Quin & id consilium habuisse Moyses potuit, ne scilicet lues ex vestibus in homines transfret; quanquam enim in nostro climate & vestendi consuetudine vix contingat vestium vermes ad homines transfire, non est tamen cur paria de eorum climate arbitremur. In ferventibus enim regionibus infecta abundant magis, quam in septentrionalibus; neque Moyses etate humanis commodis aded ars & inventa, hominum servierant, quemadmodum nostrâ, qua & cætera omnia, & artes ipsæ mechanicæ in parandis telis, pannis, & pellibus ad ultimam perfectionem devenerunt.

Quicumque Sinicas regiones excurrunt, quantam Sineses illi adhibeant diligentiam curandis vestibus, & pellibus, ne quid vermium per ætatis fervorem contrahant, nobis retulerunt. Porro pelles & pelliceas vestes frequentes apud Hebræos obtinuisse Sacra Scripturâ ipsâ referentur. Earum usus in velamentis Tabernaculi, in tentoriis militum, in vulgaribus Prophetarum vestibus occurrit. Moyses eâ de re sermonem habet Levit. capp. 11. 32. & 13. 48. 59. & 15. 17. veluti de re in vestibus, & culcitris usitatissima. Quid Veteres Heroes? Nonne exuviis urforum, tigridum, leonum, aliarumque belluarum induti pinguntur? veluti, ait Festus, si eo indicio priorum hominum vestes nobis designarentur. Arabes, Turcæ, Scythæ, Pannonæ, Moschi nostrâ etiam ætate pelle in vestibus, culcitris, tentoriis, mensis adhibent. Pelles sanè omnes, & vellera, nisi sedulâ arte parentur, vermes facile, eamque, quam Moyses vocat lepram vestium, contrahunt.

Porro de vermibus, vestimenta corrumpentibus frequens est in Sacra Scriptura sermo, veluti si res esset eâ etate exploratissima. Job. e. g. ait (m): *Quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum quod comeditur à tinea.* Salomon in Prov. 25. 20. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno; ita tristitia viri nocet cordi.* Hai. 51. 8. *Sicut vestimentum, sic comedit eos vermis, & sicut lanam, sic devorabit eos tinea (n).*

Adium Lepra, de qua Levit. 14. & c. Israelitis, cum potissimum in Ægypto versarentur, notissima creditur; nec sanè in Chanaanitide, quò ipsi transmigrabant, lues erat extranea; quod enim in deserto eâ de re Moyses fancivit, id sanè ad futuras gentis sedes referendum fuerat; cum nullæ tunc essent populo gædes, quibus à lepra caveret. Ita verò Moyses de lepra domorum. Cum in parietibus domus inæqualis superficies non sine subviridi, vel subrubro colore infecta apparuerit; statim eâ de re monitus Sacerdos a portari omnia è domo, atque vacuum septem diebus clausam custodiri præcipiet. Eo temporis spatio evoluta, si indicia morbi crevisse, atque lues intimius penetrasse deprehendatur, avulsi è pariete lapides in locum extra Urbem immundum projici-

m Job. 13. 28.

n Vide etiam  
Ose. 5. 12. Isai.  
50. 9. Ps. 38.  
12. Eccli. 42.  
13.

proiciantur, tum & parietes abradi, & crasum pulverem extra Urbem spargi præcipiet. Demum novâ calce oblita interiora domus, atque puris lapidibus in locum impurorum substitutis, oblato prius pro ejus expiatione duorum passerum sacrificio, salva erunt omnia. Si quid tamen deinde veteris lepræ occurrerit; tunc inveterati, & pervicacis morbi indicium esto; quare everfa statim domus rudera omnia extra Urbem in locum impurum projiciantur. Hæc Moyses; hæc verò eâ de re nostræ conjecturæ.

o Vide Journal.  
de Savansan.  
1668.

Ope microscopii (o) vermicali quidam lapides abrodentes detecti sunt, quos colore nigricantes, duabus lineis circiter oblongos, tribus lineis quadrantibus latos, testâ subnigrâ munitis, describunt. Addunt etiam tribus lineis pedibus capiti proximioribus ex utroque latere instructos esse, pediculi instar, sicut & caput habere pro reliquo corpore crassius; gulam ferunt pro reliquo mandibulis in crucis modum conformatis paratam; has autem mandibulas semper habent expeditas, atque instar circini quadripartiti lateris remouent; oculos tandem gerunt rotundos nigricantesque. Mortaria pariter vermiculorum, tineis casei nihilo minorum, exercitus rodit: subnigri illi, & quatuor longioribus pedibus ex utroque latere instructi. Neque est cur eâ de re vehementer miremur, cum nihil frequentius occurrat, quàm corallii ramusculi, atque conchæ pulcherrimæ vermibus perviæ, quin & vitri vermiculati frustum memorant, è cujus plures etiam forulis educti vermes. Hæc igitur insectorum genera, à quibus nec lapides, nec parietes immunes sunt, cavenda Moyses edixit. Solent autem vermes illi humi-

dis ædibus, facilè suis aculeis perviis, delectari; hinc color subviridis vel subrubrus inductus; hinc etiam situs quidam, & maculæ ex humoris affluentia ressaltantes. Lapidés emarcescunt, quin & in grana resolvuntur, postquam tenuiores compagine vermes abroserunt; ita contigit non rarò, ut mortaria ipsa ultrà dissoluta in sabulum abeant, postquam scilicet tenuè illud, & imperceptibile gluten vermes devorarunt.

Sunt igitur facilè vermes illi lapidum, & mortariorum, quos Moyses lepræ domorum nomine designatos voluit; quemadmodum & mala ab illis causata omnia ipsissima sunt, quæ Moyses eidem lepræ attribuit. Nec sanè abs re sunt cautiones illæ in Lege præscriptæ, cum nostrâ hypothesi apprimè quadrantes. Primò igitur sedulò observandum præcipit, an maculæ illæ subvirides, seu subrubræ spatio septem dierum increverint; nempe an vermes opus suum vehementer promoverint. Detecto luis argumento, statim avulsi lapides, & crasi parietis pulvis in locum extra Urbem remotum projiciantur; ne quid scilicet ab infectis illis mali Urbi immineat. Tandem si omnes illæ cautiones non satis malo occurrere deprehendantur, nec pestis gliscere desierit, tunc domus deicienda; neque enim fieri potuisse credidit Moyses, ut vermium pervicaciæ priori remedio occurreretur; quare deiciendam ædem censuit, ne omnes contagione corrumperebantur.

Consule nostram Dissertationem in morbum Jobi, ubi eam in rem plura congestimus, demonstrare conati, venereos morbos & lepræ genus esse, & apud Veteres non ignotos.

## DISSERTATIO DE MOLOCH DEO AMMONITARUM.

CUM tria sint Deorum nomina, quorum in scriptis Mo-  
saicis mentio recurrit, nempe  
Moloch, Phegor, & Cham-  
mos; singulis dissertationi-  
bus agendum de illis seorsum  
constituimus. Par est enim ut de vetustis-  
simis, quæ uspiam occurrant, Numinibus,  
quorum alioquin frequens est in S. Scri-  
pturâ mentio, atque Israelitis sæpissimè  
fuerunt officio, exactius aliquid as-  
feratur in medium. Primus igitur pro-  
deat, qui primus etiam in Scriptura legi-  
tur, Moloch; de cujus figura, genio,  
cultu, cultoribus, quemadmodum & de  
affinitate cum cæteris Paganorum Numi-  
nibus, disquiramus. Qua in re non par-  
tissert. Calmet. Tom. I.

vo nobis erunt adjumento doctissimorum  
Virorum [a] de hoc argumento Lucubra-  
tiones, quibus novi aliquid de nostro ad-  
jungendum suscipimus.

Cautum est Israelitis (b), ne filios suos  
per ignem traducere usquam in cultum.  
Moloch audeant; quod etiam præceptum  
Moyses iterum validius inculcans (c), la-  
pidum ab universo populo injiciendorum  
supplicium in transgressores edicit; tum  
Dei verbis hæc addit: *Ego ponam faciem  
meam contra illum, succidamque illum de  
medio populi sui, eo quod dederit de se-  
mine suo Moloch, & contaminaverit San-  
ctuarium meum, & polluerit nomen san-  
ctum meum. Quod si negligens populus  
terra & quasi parvipendens imperium meum*

a Selden. Syn-  
tag. de Diis  
Syr. Spencer.  
de legib. Hebr.  
ritual. l. 2. c.  
10. Voss. de  
orig. & progr.  
Idolol. l. 2. c. 5.  
b Levit. 17.  
21. De semine  
tuo non dabis  
ut consecretur  
Moloch.  
c Levit. 20. 2.  
&c.

I di-

dimiserit hominem, qui dederit de semine suo Moloch, nec voluerit eum occidere, ponam faciem meam super hominem illum, & cognationem ejus; succidamque & ipsam & omnes, qui consenserunt ei, ut fornicaretur cum Moloch de medio populi sui. Hujus Numinis cultum adoptasse potissimam Hebraeorum partem, antequam ex Aegypto facefferent, facile credimus; cum Amos (d), & post illum S. Stephanus (e), delatum in desertum Tabernaculum Moloch Idoli sui Judæis exprobraverint; ac Moyses ita de Numine illo loquatur, quasi gliscientem jam abusum corrigere, atque præsens, non futurum & possibile tantum, malum avertere conaretur.

Porro si ea fuit Judæorum in Moloch pervicacia, ut authoritati atque studio Moysis, simulque Deo minitanti dira in deserto resisteret; nec desisse pariter credendum est eo temporis intervallo, quod ita Judic. 21. 14. describitur: Non erat Rex in Israel, sed unusquisque quod sibi veltum videbat, hoc faciebat. Salomon hoc sibi deus è crimine quaesivit, ut scilicet Templum supra montem Jerosolymæ imminentem Moloch excitaret (\*); qua in re amulatorem habuit Manassem: Exiit (Manassem) aras Baal, & fecit lucos; & traxit filium suum per ignem (f). Licet enim hic de Baal sermo habeatur, ritus tamen filios per ignem traducendi inter potiores caeremonias Moloch recensetur; quæ duo sanè nomina interdum alterum pro altero usurpari infra demonstrabimus.

Neque in Prophetis obscura apparent vestigia hujus, non gliscientis tantum, sed & regnantis in populo abusus. Jeremias vitio vertit Tribui Juda, civibus Jerusalem, (g) adificasse illos excelsa Baal, ad comburendos filios suos igni in holocaustum. Baal... Propterea, ait Dominus, ecce dies veniunt, & non vocabitur amplius locus ille Tophet, & vallis filiorum Ennom, sed vallis occisionis. Ambæ scilicet valles illæ cultu Moloch prophanissimæ erant. Eadem apud Sophoniam legas, qui Dei verbis hæc pronunciat (h): Extendam manum meam super Judam, & super omnes habitantes Jerusalem; & disperdam de loco hoc reliquias Baal... & qui adorant super tecta militiam Cæli, & adorant, & jurant in Domino, & jurant in Melchom.

Ex omnium horum testimoniorum collatione Baal pro Moloch usurpatum esse facile intelligimus; quod etiam ex historia Josiæ, in Scriptura relatâ, apertissimè confirmatur; is enim Rex [i] contaminavit Tophet, quæ est in convalle filii Ennom, ut nemo consecraret filium suum, aut filiam per ignem Moloch. Cum igitur eadem vallis cultui Baal consecrata ex testimonio Jeremiæ supra laudato appareat, eidemque Numini oblatos constet in holocaustum filios; hæc nomina Baal, & Moloch unum idemque Numen designare satis superque intelligimus.

Porro Moloch Numen fuisse peculiare, quin & unicum, quod sciamus, Ammonitarum, ex pluribus Scripturæ testimoniis

constat. Cum David Hanonem Regem ejusdem gentis debellasset, tulit, ait Scriptura, diadema Regis eorum de capite ejus, pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas, & impostum est super caput David (k). Eo Scripturæ testimonio, cum alio ejusdem rei in Paralipomenis collato, intelligimus diadema illud è capite Moloch Numinis Ammonitarum, non è capite Regis ejusdem gentis detractum fuisse [l]: Tulit David coronam Melchom de capite ejus. Cum autem Melchom idem sit nomen ac Moloch, utrumque autem Regem significet; hinc æquivocationi locus factus est. Ea verò circumstantia, detracti scilicet diadematis è capite Moloch Numinis Ammonitarum, formam in idolo humanam, regiamque similitudinem, satis demonstrat; nec proceritatis ipsius obscuro est argumentum, quod de pondere ejus coronæ, si tamen capiti imposta erat, memoriæ proditum est. Quantum enim caput, coronam sustinens 86. librarum, 14. unciarum & 5. grossuum nostri ponderis marchi? Illud sanè ut in usus suos David transferret, detractio auro tolerabilis efficere debuit; nisi fortè pondosum hoc diadema supra thronum suum suspendit, quo sensu facile etiam detulisse coronam Moloch perhibetur.

Ammonitarum verbis, & sensu locuti sunt Propheta, cum eam nobis ingerunt hujus Numinis ideam, veluti Regis, Domini, totiusque gentis & Regionis arbitri. Futuram earum gentium captivitatem Jeremias, & Amos prædicentes, oracula sua ita pronuntiant (m): Cur hereditate possedit Melchom, Gad? ... Melchom in transmigratione ducetur, Sacerdotes ejus, & Principes ejus simul. Hæc porro erat misera eorum Numinum conditio, ut fortunam cultorum suorum sequuta, eodem, quo illi, fato traherentur.

Hæc in Scriptura de Moloch; modò de cultu illi impenso agendum est. Ex pluribus Sacrorum Librorum testimoniis oblatos huic Numini infantes, & per ignem in ejus honorem traductos intelligimus. Sed quibusnam caeremoniis supersticio illa parabatur? Altum eà de re silentium in Scriptura: Scriptorum conjecturæ variæ. Alii flammam ante Numen excitatam saltu transilisse pueros credunt; alii per medios ignes è regione positos, traductos; qua, inquit, caeremoniâ pueri initiati, non igne perempti, consecrabantur. Alii flammis ambustus contendunt; qua in re variæ etiam sunt variorum opiniones. An enim igneposito ante aram Numinis cremarentur victimæ illæ, an scilicet in ulnis simulacri repositæ, an in armario, in eodem Simulacro excavato, in ejus manibus, vel sinu, antandem in manibus Numinis ita depositæ, ut inde in subjectum simulacro ignem deciderent, ambigitur. His variis Authorum sententiis occasionem præbent variæ Rabinorum ejusdem Numinis descriptiones; quas, ut vera fatear, etsi cum veritate congruere non statim pronunciam, non tamen rejicere contind audeam, cum ab externorum Numinum figuris, à probatiss.

d Amos 5. 26. Portasti tabernaculum Moloch vestro, & imaginem Idolorum vestrorum, sidus Dei vestri.

\* 3. Reg. 11. 7.

f 4. Reg. 21. 3. 4.

g Jerem. 19. 5. 6.

h Soph. 1. 4. 5.

i 4. Reg. 23. 10.

k 2. Reg. 12. 30.

l 1. Par. 20. 2.

m Jerem. 49. 1. 3. Amos 1. 14. 15.

visimis Authoribus deductis, non abluant.

Tradunt igitur Rabbini, simulacrum Moloch ex ære fuso constatum; Numen verò referre æreo throno assidens, regisque indutum insignibus. Capite erat, inquit, vitulino, porrectisque brachiis, veluti si ad amplexus invitaret. Cum autem pueri ad Sacrificium deducerentur, subjecto intimis simulacri penetralibus igne, totum excandebat, quò pueri inter ulnas ejusdem simulacri repositi, dicto citius cremarentur. Ne quid verò de miserorum infantium clamore ab adstantibus exaudiretur, Sacerdotes magno tympanorum, aliorumque Musicorum instrumentorum strepitu prohibebant. Alteram planè diversam ejusdem Numinis descriptionem Paulus Fagus ex iisdem Rabbiniis acceptam refert. Moloch, ait ille, simulacrum erat, quod internè cavum, in plura armaria distribuebatur; alterum pro libationibus faring; alterum pro turturum victimis; tertium pro ove; quartum pro arietem; quintum pro vitulo; sextum pro bove; postremum pro infante, qui excitato in intimis Simulacri penetralibus igne, calore ambustus cremabatur. Numinis facies vitulina, manus veluti excipienda alicui porrectæ.

Septem ista cellulæ satis cum iis quadant, quæ de Mitra ex veterum relatione discimus. Mitra Perfarum erat Numen, cui cruentis victimis, adeoque & humanis litabatur; quod etiam cum sacrificio infantium, Moloch oblato, congruit. Celebrantur septem ostia Mitræ, quibus septem planetarum nomina imposita sunt; unde facile Hebræi desumpserunt historiam septem armariorum Moloch (n). Nemo, authore Suida, Sacris Mitræ initiatus & puritatis, & apathie, vel stupiditatis suæ exhibuisset. Hæc verò specimen ab aliis duodecim (o), ab aliis (p) 80. enumerantur; inter hæc toleranda fames, sitis, ignis, frigus, verbera; nec rara erant humanarum victimarum Sacrificia in atris illis & diris mysteriis, quibus obscura cavernæ terror horrorem crudelitatis augebat.

Saturnus Carthaginiensium plurimum etiam ad Moloch accedebat. Ejus figuram Diodorus Siculus ita describit (q): Simulacrum erat æneum, manibus terram versùs porrectis, ut impostus in illis puer suo pondere labens in subjectum simulacro ignem, qui perpetuus in fossa ad pedes Numinis excavata ardebat, decideret. Porro hunc ipsissimum esse credimus Deum, quem gentes illæ Hamilcam appellabant; quod scilicet nomen ab Athenagora (r); relatum, ad Moloch satis accedit. Quamquam autem Saturnum Carthaginiensium ex Saturno Phœnicum derivatum vix dubitamus; formâ tamen eant inter se profus ab simili. Phœnices duo oculorum paria Numini suo imponebant (s), ante nempè, & retrò; par alterum apertum, alterum clausum; quatuor alas, par extantum, par reductum; addebant & tertium alarum par in capite. Cæterum victimis

humanis tam apud Carthaginienses, quam apud Phœnices Numini litabatur. Infantes Saturno cadit in pluribus Africa regionibus Minutius Felix testatur (t); sicut & apud Tertullianum legimus humanæ victimæ sacrificia in iis regionibus Saturno, cognomento Crudeli, offerri solita, sub Tiberio primùm desisse [u]. De Saturno verò Phœnicum perhibent, victimis humanis litandi morem ab ipso primùm authore coepisse, quippe qui Jeud filium suum maceraverit; quæ deinde consuetudo per orbem universum longè latèque obtinuit. Ejus rei exempla frequentissima apud Phœnices in historia Sanchoniatis occurrere Porphyrius [x] testatur.

Ejusdem cultus Saturno, sive Moloch impensæ vestigia quedam apud Indos, & Japones deprehendi, ex relatione Numinis ejusdem gentis intelligimus (y). Meaci enim in Japonia Idolum extat cavum, æneum, auro superinducto fulgens, quod in genua licet assideat, 24. pedibus tamen assurgit. Hoc autem Simulacrum certis per annum solemnitatibus subjecto igne accensum positum inter ulnas infantem diris ignisque amplexibus stringens suffocat.

Ex his, quantum arbitror, satis intelligimus Moloch ipsissimum esse Phœnicum & Carthaginiensium Saturnum, quemadmodum ante nos etiam viri doctissimi Seldenus, Grotius, Bonfrerius, alique senserunt (z). Sed quid ista ad Mitram Perfarum, & Baal Phœnicum, quos pariter cum Moloch confundendos supra autumavimus? Hæc siquidem Numina, non ad Saturnum quidem, sed ad Solem referri planum est. Huic objectioni reponimus, Solem & Saturnum juxta quorundam opinionem, sub eodem nomine & formâ olim apud Orientales cultum obtinuisse. Assyrii, ait Servius [a], Saturno, quem Solem putant, cultum impendunt; colebant & Junonem, quæ simul omnia Numina in Africam transferunt; factum inde ut Punico sermone Baal Deum significet, & apud Assyrios Sol & Saturnus sub eodem Bel nomine censentur: Apud Assyrios autem Bel dicitur quadam sacrorum ratione Saturnus, & Sol. Paria etiam Macrobio visa sunt (b), qui Saturnum Græcorum, & Latinorum eundem esse cum Sole demonstraturus, observat, eadem planè ratione, qua Sol elementa moderatur, temporum vices accessione & recessione sua ordinat; ita sanè tempus, quod Saturni nomine appellatum Veteres maluerunt, temporum est arbiter, ilque certum præscribit terminum, nihilque, quod Soli tribuitur, à se habet alienum. Humanis autem victimis Saturno litatum fuisse apud Latinos Græcosque ignorare neminem credo (c). Hoc impii sacrificii genus ab Hercule ex Hispania reduce in Italia abolitum ferunt. Nomina Mitra, Baal, Hamilcas, Moloch, Melchom singula æquè Regem, Dominum, Herum sonant. Græcorum Solis nomen, nempè Helios, ex Hel, quod Deum significat, Phœnicum apertissimè derivatur. Ita Servius eà de re: Omnes in illis partibus

n Vid. Orig. contra Cels. 1. 5. & Selden. de Diis. Syr. Syntag. 1. pag. 169. 170. 171. o Nicetas in Greg. Nazian. Orat. in Sancta Lum. p Vide Nonn. in Greg. Nazian. & Eli. Cret. in ejusd. 3. in vestru. cont. Julia. q Apud Euf. Prap. 1. 4. c. 16.

r Legat. pro Christian.

s Euseb. 1. 1. Prapa. cap. ult.

t In Ostrav.

u Apolog. 2.

x De abstin. 1. 2.

y Vide Horn. de orig. gent. Americ. 1. 2. c. 13. Chevreau Hist. du Monde, to. 5. l. 8. c. 4. pag. 144.

z Vide Selden. de Diis Syris Syntag. 1. c. 6. Grot. in Deut. 18. 10. Bonfrer. hic, Vat. Mariana, & pleurosq. apud Tostat. a Serv. in 1. Æneid.

b Macrob. 1. 1. c. 23.

c Vide Lact. 1. 1. de fals. Relig. c. 21.